


Biblioteka Jagiellońska
stdr0010445

MESSIS
FATORVM LVCTVOSA,

Ex Gentilitio Auitæ KRZYCCIORVM Domûs CAMPO, cum dolentissimo funere,

PERILLVSTRIS OLIM & REVERENDISSIMI DOMINI,

D. MATTHIÆ KRZYCKI,

Canonici Posnaniensis, &c. &c. ad feralem tumulum,

DEPORTATA,


Eiusdemq; immortali memoriæ, æternumq; Victuro Nomini, mæsto parentalis luctûs obsequio, ac debita erga Munificentissimum Lubranscianæ Palladis Mecœnatem gratitudine, Immortalibus insignium Virtutum Manipulis,

INTERTEXTA,

Per
Christophorum Ioannem Cyboni, Phil: Baccal:, Collegij Lubransciani Academ: Posnań: Grammatices Professorem.

Anno Victæ, per vitam Dei, inter homines, mortis, MDC. LXXVIII. die 18. Iulij.

POSNANIÆ.
In Officina Typographica, Alberti Reguli Młoduiewicz.




Mors terribilis eſt ijs, quorum omnia cum vita extinguuntur, non quorum laus, emori non poteſt. *Cicero.*

Mors omnibus ex natura æqualis, obliuione apud poſteros, vel memoriâ diſtinguitur. *Cornel. Tacit.*

Viue pius, moriêre tamen; cole ſacra, colentem.
Mors tamen è templis, in caua buſta trahet. *Pub: Ouid.*

Omnes licet, ad meſsem liuidæ falcis vocamur: quia tamen auara mors eſt, ideo pretioſas ocyus quàm volumus, rapit animas. *Neoter.*



Magnifico ac Generoſiſſimo Domino,

D. STANISLAO
DE KRZYCKO
KRZYCKI,
Succamerario Caliſsienſi;

Reuerendiſſimis & Perilluſtribus Dominis,

D. HIERONYMO
à MAGNA CHRZASTOW
WIERZBOWSKI,
Præpoſito & Officiali Generali Poſnanienſi,
S. R. M. Secretario,

D. FRANCISCO
DE BRVDZENO
MIELZYNSKI,
Scholaſtico Vladislauienſi, Cantori Poſnanienſi,
Præpoſito Slupcenſi; S. R. M. Secretario.

D. IOANNI MANKOWSKI,
Canonico Poſnanienſi.
S. R. M. Secretario.

Ampliſsimis voluntatis ſupremæ Arbitris,
Dñis Dñis, & Patronis Colendiſsimis.

L*Vctuoſam fatorum meßem, è* KRZYCCIANO *Campo, falcatâ inuidæ mortis manu, feraliter præciſam, noſtris non ſine lacrymis collectam, ad veſtras ego manus defero, Ampliſſimi voluntatis ſupremæ Arbitri, Dñi Dñi & Patroni Colendiſſimi: Cum meſſe & Câpo, extra campum fraternum euagari, nec licuit, nec ſecurius deponendæ meſſi huic conditorium, ſocius publici mæroris animus inueniſſet alibi, quàm veſtris in manibus; quæ auguſtos amantiſſimi, ſeu Fratris, ſeu Amici ſui Manes, ita condidêre tumulo, vt perennem ſimul non morituri nominis memoriam, immortalem rectè factorum gloriam, in ipſo obæratorum, quâ ſanguinis, quâ amicitiæ, Iuribus, Cordium veſtrorum, monumento reponerent. Doloris hoc Academici indicium, internam debitæ compaſſionis grauitatem tantò luculentius exprimet, quantò eorum antiperiſtaſi, dolorum accedet propius, qui vel ideo ſunt maximi, quia veſtri. Hoc enim idem, du-*

riſſi.

uissimi luctûs telum, quod profundissimo vulnere vestris adactum pectoribus mæsta hac gemini doloris communione, hodie comploramus; Lubransicianam quoq; Palladem, æmulo ferit iaculo, & tam vehementer sauciat: vt quæ olim è Poetarū conscientia per vulnus dissecti capitis, vitæ accepit primordia, hodie cum Cor istud suum tumulari videat, lethale propemodum in corde vulnus, palam sentire se testetur. Erecto stetisse animo, super fatalem Columinis sui casum, quomodò potuisset? cùm illam occidente, hoc suo, amplissimi nominis Protectore, hoc rei Academicæ Atlante firmissimo, ponderi fatorum succumbente, vel ipsa meritæ gratitudinis conscientia, valido satis impetu, propellat doloris ad ruinam. Sed lacrymas tantùm refundit mortuo, quæ gemmas à superstite accepit; dignum omninò arbitrata, vt cum opimam beneficentiæ messem, vernaturasq; æternùm, memorandæ liberalitatis Laureas, è KRZYCCIANO *Campo legisset toties, hodie quoq; funeream Cupressum, vel inuitâ manu præcerperet: Romanoq; more, non tam Fontem, quam Nilum potiùs beneficentiæ, in literas, qui gentilitiam fæcundissimi Campi aream intercurrit; ex quo & Illa hausit satis: hoc saltem parentalis gratitudinis obsequio coronaret. Marcescere Coronamentum hoc ignarum est, eritq; semper, quod non ex floribus, tàm diu gratis, quàm diu recentibus, sed ex perenni acceptorum memoria, perennis gratitudo contexuit, quæ dum messem hanc luctuosam, non sine luctu è* KRZYCCIANO *Campo colligit; suum quoq; immortalium Manipulis virtutum, intertextum fascem eidem illigat & innectit. Admittite itaq; messem hanc, ad tumulum quidem deportatam, quia tamen immortalitatis etiam capacem, Vestris in manibus humaniter hospitari, iisq; illam, à tumulo ad cordis penetralia translatam, posthumæ obliuioni ereptam, æternitati porrigite. Vmbram verò hanc, profundæ erga Augustos Manes venerationis, à vestrorum nominum splendoribus, lucem quærere patiamini: quæ suæ priuatim tenuitatis conscia, lucem omninò publicam detrectâsset, nisi Vestræ protectionis radio illustranda, vel hoc prætextu, suam hanc vel temeritatem, vel audaciam defendisset: quod & iustus hoc ei imperauerit dolor; & sine omni affectatæ venustatis illecebra, phalerarumq; apparatu, vt priuatam luctûs acerbitatem, testaretur luculentiùs, rudem se & incultam ad luctum venire publicum, solius fæcundam doloris messem, sterili calamo exscribere, justum congruumq; censuerit. Quidquid tamē hîc sicut tacere nescius; ita gemere potiùs, quàm in multam fandi copiam protendi assuetus dolor, breuiter eloquitur: indignum licet, quia tanto Vestrum nomine, incultum, quia in luctus effusū est, Vobis tamen vt spero, iucundissimum erit; quia de Vestro scriptum sanguine & amore. Deniq; vt gratior Vobis luctuosa hæc cedat messis, votorum illi omnium, hunc in compendio fasciculum ingero: vt præsentem vobis luctum, gaudijs in futurum diutissimis, solentur superi, pro imbribus lacrymarum, quibus è mæsto obtutu profluentibus, aridam hanc seu fraternæ seu amicæ mortalitatis messem irrigâstis, fulguret gemmis, riguoq; cælum depluat auro: hanc deniq; doloris messem, vberrimo felicitatum semine, vita & fortuna diuturnior compenset.*

Magnificæ ac Generosissimæ Dominationis

Perillustrium & Reuerendissimarum Dominationum Vestrarum.

Cliens deditissimus
Christophorus Ioannes Cyboni, Phil: Bac: Acad: Posn:
Collegij Lubransciani Grammatices Professor.



MESSIS
FATORVM LVCTVOSA.
Vt lubet jam,

Imaginem mortis, pingite Apelles vel Parrhasij;
sculpite Myrones aut Lysippi;
exscindite Polycleti aut Praxiteles;
Genium illius, is mihi demùm expressit optimè,
qui manum, primus ei armauit falce.
Ferrea quæ tota est, an iniustè ferrum manu prehendat?
Messorium hoc instrumentum, an incongruè præferat?
quæ adeò est auida metendi;
vt non eminentiora tantùm titulis celsioribus capita,
non tantùm sublimes Coronarum fastigio vertices,
sed omnes omnium ceruices,
Omnia, quæ sub iugum abierê mortalitatis, jugula,
cæco respectu, æmulo impetu, pari crudelitate, æquali ictu, demetat.
Scilicet cum nihil ad lusum, omnia ad luctum faciat;
Ludicram Tarquinij tyrannidem, altiora duntaxat papauerùm colla demetentis, sibi habet:
Cum omnium crudelissima sit, crudeliora magis amplectitur;
Caligulæ vota, euentu implet;
Omnibus, ac si vna esset ceruix, omnes vno ictu
ferit, concutit, prosternit.
Et quod mirere magis;
Falcem mors gerit, non magis crudelem, quàm celerem:
etiam tempus messi debitum anteuertit, vt semper metat,
ne solius sit Temporis falcem gerere,
etiam illa omni tempore falcem stringit.
Vt vbiq; detur per illam vacuum, nunquam vacat,
semper tumulos & vrnas, opplet exuvijs corporum.
Vt etiam Mitratis, Tiaratis, Coronatisq; Capitibus plectendis;
competens ferrum intentet, murice humani sanguinis perpetuò illud tingit,
vt esse valeat purpuratum.
Huic ingeme vel maximè, infelix mortalitas:
Etiam ab immanitate monstri huius, nec Aræ ipsæ immunes:
Reginam se omnium, superbô titulô, non inani tamen iactans nomine,
Regale etiam sacerdotium, Mors aggreditur:
Parcere vlli nescia,
Parca cum sit, in sanguine fundendo, ad prodigium vsq; prodiga,
etiam sacrum Mystarum sanguinem, profano miscet.
Eheu!
cecidit hæc etiam super MATTHIAM sors, sed iniqua.
Exscribe iam lacrymis calame
Nomen aureo potius charactere notandum,
perenni Cedro, memoriq; æternùm marmori incidendum,
Academicis in Cordibus, stylo gratitudinis adamantino
ad gloriam decentissimè, ad immortalitatem perenniter,

exaratum.

 Perillu-

Perilluſtris olim & Reuerendiſſimus Dominus,

D. MATTHIAS KRZYCKI,

CANONICVS POSNANIENSIS,

huius ſub ictu falcis cecidit.
Cecidit, Eheu iterum gemens anime!
Literarum Mecænas Ampliſſimus, literario nunquam ſatis elogio celebrandus;
Lubranſcianæ Palladis Protector meritiſſimus, tota in laudem effuſa Pallade celebrari meritus,
Illatus iam tumulo, ſuppari nunquam panegyri extollendus:
Mortuus Vir, Immortalitate digniſſimus,
Ceſſit fatis, cedere nunquam dignus,
Occubuit, vt ſtaret æternùm, tot fultus votis,
Vt ſeriùs caderet, tot deſiderijs ſuſtentatus.
Adeò.
nec ſuper Matthiam quoq; ſortem cadere ſemper fortunatam contingis
quin ipſe etiam cadat fataliter.
Tu verò
Campi Tui, Cuſtos vigilantiſsima, fortiſsima Propugnatrix
Armata Gladio manus
falcatam mortis manum, ab hac luctuoſiſsima meſſe, cur non repreſſeris?
ſed quæ Achillis arma, fortitudo Herculis, qui Mars ipſe Mortem reprimat?
quæ etiam Orbis totius Victorum, inuicta domitrix,
omnis humanæ fortitudinis indomita triumphatrix,
omnia Heròûm arma, armis ſuis,
ſubiectiſsima ad ipſum vſq; tumulum veneratione
ſubmiſit.
Patentiſsime ad gloriam, magnæ KRZYCCIORVM Domûs CAMPE,
Itane morti etiam patuiſti?
ſed quid huic non pateat, quam latet nihil:
Quidquid in abditiſsimis quibuſq; latebris occuluit mortalitas;
Quidquid vel meridianam Cynici lampadem latuiſſet, Mors reperit;
vt malè forſitan dicamus cæcam,
quæ oculatior Lynce, Argo centoculo perſpicacior eſt,
quia omnia videns.
Niſi ideò,
quod cùm omnia videat, ac ſi nihil videret tamen, omnia cæco impetu inuadat,
Cæca dicitur, cæca eſt.
Patentiſsimus verò tanta per Orbem Lechicum amplitudine, CAMPVS hic
quidni vel ſuâ illi amplitudine patuiſſet?
Vaſtæ moles, ſuâ ſe magnitudine produnt magis, etiam & Morti:
Campeſtris Mors eſt, quia falcata,
metendi auidiſsima, quia ſemper metens,
Campos ideò libentiſsima incolit, non tamen vt excolat, ſed vt vaſtet.
Aggreſſa, non ingreſſa CAMPVM hunc, vt meteret;
Immiſit falcem in meſſem, ſed omninò alienam.
Nam
quæ Immortalitas meſſuiſſe debuit, illa vt meteret, etiam tempus metendi ſolitum præcurrit.
Ita ſanè,
adultis virtutibus, cælo maturuiſſe, mortale in mortalibus eſt.
Hûc iterum lacrymas, recenti vulnere irritate dolor!
Ad luctuoſam mortis meſſem, Myrrheus doloris manipulus, iure pertinet.
Procul hinc
feſtiuos plauſus, lætas redeuntium è Campis meſſorum acclamationes,
Parentales huc potiùs nænias, leſſus lugubres, animi ſingultientis Vocales gemitus;
Meſſis fatorum luctuoſa, luctum poſcit.

Ex Campo hoc, tali cum pompa redeat crudeliſsima prædatrix.
Mereris certè lacrymas cum moreris;
qui vivus gaudia in omnes diſpensâſti & lætitiam;
documento poſteris,
Illum qui vixit benè, iuſtè & bene lugeri mortuum;
qui in vita nullius occaſio luctûs fuit,
Omnium in morte luctûs vnam & ſufficientem Cauſam eſſe.
Interim tamen,
Lacrymas ego meſsi huic collugentium non cohibeo, ſed tantiſper ſiſto:
vt quidnam & iuſtenàm deplorent, meliùs videant,
lacrymas nonnihil abſtergant, neceſſum eſt.
In faſciam æternitatis colligere, æternitati debitos virtutum decorumq; Faſciculos,
quos in KRZYCCIANO CAMPO, fatale mortis ferrum, licet meſſuit, non tamen collegit,
Iuſtum eſt.
Vita tantùm aufertur per mortem,
ea, quæ in vita benè geſta ſunt, victura æternùm ſunt;
quæ immortalitatem viuendo meruerunt, etiam poſt vitam, mori neſciunt.
KRZYCCIANVS CAMPVS,
etſi in Cupreſſos hodie pullulat, ſuccreſcit in Taxos,
tot tamen Laureas virtutum, Palmas tot decorum,
fertiliſsimo germine produxit, producitq; indies,
quæ immarceſcibili ſemper flore.
non per æſtates tantùm, ſed per ætates integras,
per luſtra, ſeculaq; innumera,
imò vt clariùs & veriùs dicam,
per totam immortalitatem,
virebunt vigebuntq;.
Nobiliſſima hæc Immortalitatis ſemina, & quomodò areſcant?
quæ, interfluens aream Gentilitij Campi, Tago Hebroq; omni pretioſior vnda
perrenni vigore irrigat.
Baſilicus quia heròô ſanguine cruentus Fons hic,
In Campum ſuum,
vt perenni ſemper vernet decore,
Roſarum planè puniceos iaculatur imbres.
Quæ in CAMPO hoc manu æternitatis plantata,
hanc planè dibapham ſanguinei fluctus purpuram hauſerunt,
Pallidam non timent mortem:
adnatumq; illi pallorem, vel hoc ſuo rubore confuſum erubeſcere faciunt.
Inquilina Honorum Domus
Vt immortalitatis quoq; apud ſe ſtationem fixiſſet,
Gentile ſuum Decus, in amplam CAMPI patentis latitudinem glorioſè diduxit.
in quo & Curules Honorum ſellas, loco ſatis capaci diſponeret,
& auguſtam Immortalitatis Maieſtatem, anguſtiarum pro ſublimi genio exoſam,
ſuâ hac capacitate commodiùs circumſcriberet.
Quidni ad perennis Gloriæ Capitolium,
æquè faciliori ac feliciori præ cæteris curſu non prouolet,
Domus hæc?
quæ vbi Giganteòs contendentium illuc meritorum paſſus, latiùs defigat,
in vaſtiſſima Gentilis CAMPI area, habet ſatis.
Ad æterni nominis terminales,
Ad Immortalitatis brauium,
per tam ampla Olympia,
an, non, quia prolixè ſatis, ideo dignè ſatis
Decurratur?
Sed Tu etiam in Campum calame digrederis:
etiam Tu in alienam meſſem inuolas;
In faſtis hæc perennaturis, trabali ſcripſit ſtylo æternitas,

quæ rudi sæpia, paginæ tu perituræ committis.
Non lacrymis ea, nec inter luctus scribenda sunt;
quorum recordatio dulcis, perennitas immortalis,
etiam inter luctus, sensum quendam gaudij
Inspirat.
Manum proinde hîc de tabula:
Conscius angustiarum Calamus
KRZYCCIANÆ Domûs amplitudinem,
Vastissimæ Gloriæ capacem, quia Campestrem,
ampliori curiositate adire non audet, peruagari veretur,
vestibula vix aggressus, regreditur:
Quòd verò vel tantum ausus sit, errore fatetur factum.
In publico dolorum concurrentium tumultu,
In hac mentium turbatarum confusione,
quò se verteret, nesciuit;
Quòd à messe ad Campum deflexerit, parum esse erroris
Arbitratur.
Satis & Tu, inter lacrymas elogij habeto à me, nunquam habiture satis,
lacrymarum hodie ferax CAMPE.
Si Tuarum Iliadem Panegyrum, nucleo inclusurus,
inter hanc per inimica fata, fædam Tui vastationem,
Vastissimum Te Immortalitatis Plantarium,
Competenti elogio, titulo non inani, voce verâ, concludam.
Ita sanè ita verè est;
herbescentem è messe CAMPI huius Coronam, ne decerpseris Libitina:
Assurgunt hîc in solius Tæniam æternitatis. virtutum, tot decorumq;
Manipuli:
qui in tuas non cessêre manubias, sub falcis Tuæ non cecidêre ictu.
Assurgunt Tuæ immortali Gloriæ, mortalitatis iam exhæres, Immortalitatis Candidate,
Campi Tui flos lectissime;
æternis Literarum lacrymis, æternùm lugende,
dulcissima vel inter dolorum amaritudines Tui recordatione legende semper,
MATTHIA KRZYCKI.
Gloriosam equidem mortalis vitæ viam,
In hoc gentilitij Tui Decoris Campestri stadio, immortalium decorum studiosissimus Athleta,
Decurristi:
cùm tot in eo virtutum vestigia, palmari cothurno adeò notabiliter impresseris,
vt in luctu etiam legi possint.
Hos Tu, quia Tuos Tuorum decorum Manipulos,
In funeris Tui pompam, in nostræ coronamentum gratitudinis,
à Nobis accipe.
manibus dare lilia plenis,
Rosis, alioq; sepulchrali, è more veterum, florilegio,
Tumulum tuum inspergere,
Vltra breue florum ver, obligatis in animis vernatura Tui recordatio, vanum censuit:
Hæc quæ Tua Tibi in CAMPO Tuo plantauit virtus,
Tua Tibi collegit immortalitas.
Mors cùm perennem Tui recordationem animis nequijsset intercipere,
eripuit amænissimum oculis tui spectaculum;
eaq; tantùm in CAMPO Tuo messuit; quæ fuêre mortalia, non quæ Tua.
Natalium amplitudo, in Maiori Polonia planè maxima,
non minùs in suo Campo, quam in Orbe Poloniarum vniuerso amplissima,
Ergone vnius vrnæ loculô capi possit?
Meridiana auitis in splendoribus Natalium auges,
Ergone ad vltimum vitæ fatiscentis occasum
Cimerio velut sypario indecenter velata, ad noctem perpetuam damnari queat?
Radium

Radium hæc, in viris Illustribus, accendunt Immortalem,
etiam sepulchrales inter vmbras, lumine inextinguibili scintillantem.
Quodsi etiam apud mortem, vel omnium nobilissimam, vel penitus ignobilem
Stemmata nil prosint nil prosit longo sanguine censeri:
vt sua Illustrissimi ortûs lumina, etiam in cinere mortalitatis immortaliter fouerentur
Prouidit, hîc certè, sicubi fortunatissimus
MATTHIAS.
Generis nobilitatem, virtutum nobilitati coniunxit,
vt vnita cum virtute nobilitas, cum nobilitate virtus, esset fortior
Ortum generis meridie probitatis accendit,
& auitis, Maioribus, & nobilissimis in vita moribus,
vtriusq; nobilitatis prærogatiuâ & insignitus, & insignis.
MATTHIAM se esse memor, adeoq; sorte hâc etiam felicem esse voluit,
ne (quod miserum Poëta censuit) alienæ incumberet famæ.
Refudit hæreditarium Magni sanguinis influxum
pari dimanantium à se decorum alueo,
Augustæ Domui;
Dispositas per aream Gentilis Campi, Auorum Atauorumq; Imagines,
gemino rectè factorum lineamentô illustrauit adeò,
vt ex illorum Archetypis in se Ectypon,
viuam paternæ virtutis Energiam,
Ideam formauerit verè Exemplarem.
Ad Ceras congenitæ nobilitatis, melleam aptauit vitam.
Ab Arbore Dodonæa celsissimæ propaginis
Vt se non degenerem surculum, ramum aureum,
similiq; frondescentem virgam metallo demonstraret,
laborauit in tantum, vt tunc solùm ab opere immortalium operum destiterit
cum esse desijt mortalis.
Verbo omnia:
Nobilissimam Natalitij splendoris sementem,
quam in fœcundissimo Kotuicij sui CAMPO, Lucina illi in Cunis obtulit
ad eam in vita maturitatem prouexit;
vt tempestiuè satis maturuisse cælo visus, messem ante messis tempora
accelerauerit.
Liberet hîc, si etiam liceret,
rudi licet pio tamen conatu,
amplissimum elogiorum CAMPVM, Kotuicijs sese in Campis aperientem
ingredi profundiùs, lustrare vel in luctu hoc amæniùs:
Vacaret,
Succrescentes tot, etiam ab ictu vesanæ falcis, virtutum decorumq; Manipulos
Gloriæ immortali attollere.
nisi publica hæc subiti doloris confusio mentem imbecillam confunderet,
& quòd in luctu semper accidit;
Omnia in vnum non tam congerere, quàm confundere imperaret.
Legite tamen hos etiam succinctos virtutum Manipulos,
qui messem hanc fatorum, dolore socio lugetis.
Primus è messe hac Immortalitatis Manipulus esto
RELIGIONIS.
Hæc in Religiosissimo hoc MATTHIA verè Orthodoxa, labis vllius inscia,
Deo, Cælo, Cælitibusq; ex asse vectigalis,
à primo visæ lucis diluculo, ad vsq; fatalem occasum, pari semper fulgore enituit,
Floret hæc illibato semper decore, in KRZYCCIANO CAMPO
vt à prima huc sui admissione, nunquam de constanti vigore demiserit.
Quod super Campum hunc gladifera Manus arma stringat:
ad adytum opinor suum euigilat,
ne sacram hanc Religionis arcam, irreligiosum quidpiam sacrilego pede contingat.
Innatum hoc Religiosæ Domui suæ decus: eò Ille retinuit magis quò sciret meliùs.
C
omnia

omnia inter humanarum virtutum decora,
Veram firmamq; Religionem, maximum esse ornamentum.
Tantus in Eo decoris istius apex,
vt Aris ipsis dignam Religionem prætulerit, ipse planè Religionis Ara.
Tremendis Aræ munijs ex merito capessendis,
Quanta se consultissimi pectoris solicitudine præparauerit,
ex eo cognosce:
quòd ad magna hæc maximi Numinis obsequia, tam lentè festinauerit.
Solus planè sacra profanis felicissimè miscuit,
sed in profano etiam Matrimonij statu, sacrum se spiritualitati exhibuit.
Binis ante mortem annis initiatus sacris
cum cælestis huius muneris Initia, digna cælis pietate perageret,
è terris excessit ad superos,
vt feliciùs consummaret in cælis, quod tam auspicatè in terris est auspicatus.
Ad aras accessurus,
etiam in vestibulo sacrarum ædium, Aris dignam exercuit pietatem,
Offert se hîc Manipulus munificentissimæ In egenos
LIBERALITATIS.
Antequam Deum in aris, prius egenos homines in adytu templi placauit muneribus:
vt ante Tribunal Iudicis formidandi suam benè causam perageret,
hos prose Oratores corrupit donis,
Hæc sola Illi corruptio placuit, quæ si cui non displicet,
non corrumpit sed corrigit,
Sui hîc etiam nominis, ac fortunæ MATTHIAS haberi voluit,
cùm aliorum miseriam, suo ærario faceret fortunatam.
Alienam inopiam, suam ratus, ita prouidit alijs, vt sibi ipsi.
Calamitates aliorum pro suis reputans,
ferre illas non potuit, quin statim vt potuit, auferret.
Titi aut Vespasiani munificentiam æmulatus, elogium superauit,
cùm illi, dantes his etiam, qui accepisse non debuerant
proiecissent beneficia, Hic dedisset,
vnicè in eos liberalis, qui nihil præter solam pauperiem habuerunt.
Vos pupillæ miserorum cohortes, hodiè pullatæ,
Manipulum hunc lacrymis humectate,
qui toties oculorum vestrorum lacrymas, suâ liberalitate siccauit.
Panem vobis Manipulus hic dispensauit, non fulmina,
symbolicam illam syngraphen viuo suæ virtutis geniò expressurus,
In suo IVSTITIA Areopago,
suum quoq; messi huic Manipulum innectit.
Ad Iusta hæc parentalia, etiam Iustitia iure pertinet,
dum obseruantissimum eius Cultorem tumulamus.
Tanta huius in Illo cura,
vt dignum amplissimâ quoq; Sarmatici Tribunalis Curiâ toties promulgauerit.
seu assideret, seu præsideret Iudicijs,
medius confligentium inter se partium arbiter, mediò iuit tutissimus.
Asylum Innocentiæ, Reorum scopulum,
veriùs quod Cassio Romano, vetus affinxerat assentatio,
Illum tu dixisses, qui Lynceam in causarum cognitionibus perspicaciam,
in eo manifestam vidisti.
Gladius supra Gentilem Campum, Gladius esto Themidis
quæ in KRZYCCIORVM Domo, supremum sui cultum aduertens,
Arma sua Illius Armis superintulit.
Ita
non cum magnis tantùm affinitatibus, sed cum maximis etiam Virtutibus
KRZYCCIANA Domus Stemmata communicat.
Arma hæc
quod intra CAMPVM, crudelem mortis falcem admiserint,
ne mirere:

primum

primum omnis Iustitiæ decus esse, reddere vnicuiq; quod suum est,
Iustissimus hic MATTHIAS cum sciuisset:
in ipsam quoq; Mortem, iniquus esse noluit,
quin huic etiam, quod illius erat, libens redderet,
CLEMENTIA Iustitiæ Affinis.
In illo plusquam fuit germana.
Vt solem illius, ita Lunam istius,
(sic bina hæc virtutum sidera vocat Lipsius)
pari in se lumine circumtulit.
Si Pericles, Olympij nomen inde meritus, quòd nemo suâ operâ pullam vestem induerit,
Meritus hic Olympum:
qui vt in vita neminem, ita post mortem omnes,
pullato si non amictu, certe luctu operuit.
Nihili sui verior dominus, quàm iræ,
omnes sui offensas,
ad solius Clementiæ lancem librare suetus, gladium vibrare insolitus,
ad veniam promptior, quàm ad pœnam,
flecti semper maluit, quam vel semel plectere.
Iniurias à quocunq; sibi illatas
non risit tantùm, vt Tyberius, non contempsit, vt Theodosius,
sed remuneratus etiam, vt Augustus interdum, Ille semper.
Iustitiæ & Clementiæ collateralem semper, hîc etiam adijcio
PRVDENTIAM.
Prodroma hæc virtutum,
si harum quoq; Anteambulo vel Comes non sit,
Virtutes licet illæ sint, in vitia tamen degenerant.
Fuit Ternio hic perfectus
in perfectissimo hoc virtutum omnium Compendio
MATTHIA KRZYCKI.
Hic etiam Manipulus, è messe hac mortalitatis pullulat immortalis,
Prudentia illi exactissima semper, erronea nunquam,
& quia CAMPO pro stemmate Insignis
Ideò Consiliorum feracissima:
quia tot per Literarum Athenas, & Athenæa, circumducta, ideò eruditissima,
quia annis matura, ideò ad multiplicis experientiæ Lydium probatissima,
In Comitijs Curiaq; Curium,
In publico Consiliorum Theatro Roscium adornans,
Vbiq; par Oraculis.
Laureatus SAPIENTIÆ Manipulus,
sublimior hic eminet:
quàm vt tenera Elogij succumbentis infantia illùc adrepat:
quò suam Ille, conatui planè æmulo inaccessam celsitudinem subuexit.
Indolem Iuuentutis senio maturitatis benè parem,
Lubransciano priùs Academiæ Posnaniensis Collegio erudiendam dedit,
Demùm
vastissimam docilis ingenij capacitatem, ac sanè in Campo natam amplissimo,
Regni sui limitibus abundè capi nesciam
per oras gloriosissimè circumtulit Exterorum.
Stupuit Amauitq; in Illo hoc sapientiæ decùs Patria
viderunt & inuiderunt quoq; Exteri.
Transplantata peregrè è natiuo solo Planta hæc, copiosissimè fructificauit
Italici Calores
è frigido Septemtrionis Climate, calentissimos Ingenij æstus,
maioribus sapientis Gloriæ ardoribus accenderunt:
Galliæ Lilietum,
Odorem doctrinæ multiplicis & sensit & auxit.
Prorsus
C2

& so-

& Sole Italico decoctus, & in Gallica Sapientiæ Viridaria
Transplantatus hic Manipulus ita floruit;
vt Sarmaticæ telluris, vt Campi sui partum, floruisse decuerat.
Scripsit vel nolens, suæ ipse elogium Sapientiæ,
cum scriptis tot suis, perennem illi memoriam apud posteros inscripserit,
Ingessit suam quoq; Manipulo huic Apollo Lauream,
Parnassum Campo junxit:
Hæres videlicet Patriæ Libertatis Anima,
novo paradoxo, admisit vincula sed Musarum:
vt hæc etiam, Illius ad posteros sapientiæ nexum, memoriæ perenni illigarent.
Iuit in Heliconios Colles, ligatis metrorum, pedibus,
cum mente libera, solitis aliquantum curis, solutus esset.
Iucundissimum illi otium, quod fuit otium literarum.
Et quod in magno hoc sapientiæ gustu, sapidissimum;
in quo sapientissimi etiam desipuere quandoq;
Ille sapuit semper.
Suâ non abusus sapientiâ
eam, in vsum eius, cui omnia debemus Patriæ, sapientissimè conuertit:
Dùm Illius Annales, facta Principum, Regni sui Historiam, donauit posteris,
Ipse & eruditionis tantæ & tam boni Sapientiæ vsûs
posteris Historia futurus.
Nè verò Martium hunc KRZYCCIANI Decoris CAMPVM
sine Martio quoq; decore relinquamus,
assurgat ad bustum hoc, in triumphalem Manipulum
Victoriosissima FORTITVDO.
Restitit hæc, fortissimæ licet morti,
& cum mortalia tantùm, in Campo suo meteret,
Laurum illa suam, ictu falcis atrocissimæ, exporrexit intactam,
Ferream Cadmi sementem,
quam, fertilissimo victricium Palmarum Campo suo, KRZYCCIANA inseruit magnanimitas
illas cruore barbaro, adhuc vel in stemmate stillantes glebas,
Scuta galeasq; & trunca corpora virûm, cadauerum hostilium aceruos,
non hic ego, in Manipulum Fortitudinis congero.
Quid enim esset operis?
plantatas immortalitati adoreas, fixa ituris seculis trophæa,
calami imbellis præsidiô, & inaniter & indecenter fulcire?
Tuam recolo, Tuam veneror,
vt omnium aliarum, ita huius etiam virtutis ex asse particeps,
MATTHIA KRZYCKI,
Victoriosissimam, quia sui Victricem
Fortitudinem.
Immutata hæc Illi, maximis etiam mutationibus,
in quibuscunq; aduersis secunda,
ad omnes fortunæ impetus erectissima, nullo fracta,
Generosissimam mentem, quauis vicissitudine nihil motam,
Montem illum vere dixisses:
qui immixto sideribus vertice, vltra omnes nebulas eluctatus, in omni turbido serenus est.
vltimo Te tandem succincti huius elogij loco
attexere placuit, vel maximum inter decora hæc magna Decus
Maxima in Literas Lubranscianas
MVNIFICENTIA.
Hic Te non tam panegyricus, quam confusus in luctu, doloris impetus locari voluit;
vel vt in ipso decursu, facilius legentium recordationem subires,
vel vt nostræ Tu coronamentum gratitudinis,
exilis huius elogij in coronidem, Immortalium Manipulorum cederes
In Coronam.
Nectunt ergo Manipulum perennis gloriæ etiam Musæ Tibi
Mecœnas Literarum Amplissime. aridæ

aridæ huic funereæ Cupressui Tuæ, per Tuæ influxum liberalitatis
Virentes Laureas inclinant:
ad messem hanc Fatorum luctuosam
è suis Parnassi Lubransciani collibus, in Tuum cum luctu Campum veniunt.
Ipsæ hic agunt Præficas, luctu acturæ Gratias, testaturæ gratitudinem,
quam lætiori materie testari peroptabant,
si earum votis, euentus felix, Tua nimirum diuturnior vita respondisset,
Et quidni
Aonij quoq; Musarum Latices, Cyrrhæi Castalijq; fontes,
diaphanam sui limpidi crystallum, turbidô mæroris publici hodie confundant?
affundant suas alienis lacrymas?
qui, ne arescerent vnquam,
ex Tuæ liberalitatis Oceano, liberalibus alueis,
non aquæ, sed gratiæ ductum perennem deriuarunt.
Benè est Sapientiæ non Cultor magis quàm Patrone,
Ditata hæc dotataq; a Te,
suæ Tibi talionem gratitudinis immortali beneficentiæ memoria, iustè semper rependet.
Manipulus hic Tuæ liberalitati sacer, marcescet nunquam,
Quem in immortales è Stagiritæ placito Gratiarum hortos,
Manus Palladia transplantauit,
vt Gratiæ Tuæ memoriam nunquam posse emori testaretur.
Hæredes æternitatis Literæ
primum ad eandem gradum, magnorum nominum perennitati,
missis ad posteros eruditi Calami panegyribus, ponere semper solitæ,
etiam Tibi ponent, quia Tibi obligatissimæ.
Emant plerumq; alij sui æternitatem sibi nominis,
dùm illud nummis cum vultu imprimunt,
vt in auro argentoq; lucem etiam post fata videant:
Inscribant alij etsi longùm non tamen æternùm duraturis parietibus,
vt parietina cum Traiano herba dici possint, ac simul deflorescere;
Quærant vel in tumulis alij perennem cum Mausolo vitam;
Attollant demùm reliqui cum Æypti Dynastis
ituras sub cælum Pyramides Colossos, Obeliscos;
vt per sublimem hanc fastuosissimi luxûs molem,
In culmen Immortalitatis vel sic enitantur:
Euanescere tamen hæc omnia, ruere, per temporis fatorumq; iniuriam quotidianum est.
Firmiores Tu longè sustinendæ Immortalitati Tuæ Columnas tot,
Palladio in Circo excitâsti,
Quod alenda liberalibus impensis Tuis Ingenia
Domui Sapientiæ dedisti,
Tuis laudibus, Gloriæ, Honori ac Immortalitati
Dedicâsti.
I jam nunc,
è luctuosa hac KRZYCCIANI CAMPI messe, vel ipsa in luctum
Luctûs hodierni Causa Mors,
quod falci Tuæ non omnia sub ictum cesserint:
& si cui Tu vnquam, huic certè Immortali per æuum omne Viro,
quâ vitæ incidisti stamina, aureum gloriæ immensæ filum
hâc falce orsa es:
dum ad messem hanc nimis quàm festina non pepercisti tempori
Manipulos prouidisti æternitati.
Hi verò
deponuntur potissimùm in Tui conditorio pectoris, quia fraterno;
Mortui Fratris viuum Decus,
amoris vnicè fraterni ab his cineribus victure Phænix,
si metempsychosim Pythagoræ non damnaret veritas,
Fratris Tui sortite animam,
D vt

vt veriùs dicam,
fraternæ post mortem Immortalitatis Anima,
Magnifice ac Generosissime Domine,
Succamerarie Calissiensis.
Immortalia hæc Fratris decora Tibi penitùs germana,
à Tui fama nominis suam sunt immortalitatem habitura,
Famâ Tuâ.
quæ vocali tot meritorum classico, Maiori Poloniæ, maximè,
nec minùs Minori notissima, Exterorum finibus affinis,
Orbi Poloniarum vniuerso celeberrimè insonat.
Terrarum Tu quidem pro Tuo, quod gloriosissimè geris, munere, Metator es:
Tuo tamen metam Nomini pones nullam,
quòd, tanta decorum tot amplitudine, protendisti.
Primum hunc Ordinis Equestris titulum,
Tua Tibi, in secundis nescia stare Virtus dedit, per suffragia meritorum:
cuius mensuram Nominis, in tantum imples,
quantùm Princeps hæc Nobilitatis dignitas, haberet satis,
Trabeati Patrum Poloniæ Ordinis Laticlauius Apex mereretur,
Tuæ hic etiam Gloriæ se toties submisit,
Virtutis Tuæ præmium fieri desiderans;
Cùm Herculem in Te Polonum persæpè audiat;
aureâ eruditi oris catenâ, diuersissimos animos, in nexum concordiæ vnanimis,
Vincientem.
Gratulare eam Tibi gloriam,
Septemtrionalis Literaturæ Augusta Metropolis,
Orbis Europæi Decus ac Delitium,
Celeberrima per Orbem, vnica per Poloniam VNIVERSITAS CRACOVIENSIS,
Fæcundissima Eruditorum Alma Mater
quòd Hic etiam Tuum se agnoscat Filium, qui Institutione Tua eousq; processit,
vt præcipuum Decorum Tuorum Decus sit,
Capacitatem tantæ Mentis
decuit in capacissimo scientiarum omnium Archi-Lyceo,
tantâ exaggeratæ sapientiæ planè Encyclopædiâ oppleri;
quæ hodie sufficientissima agnoscitur.
Adeò verò Magnorum fertilissima Virorum
KRZYCCIANI CAMPI Tellus,
sterilitatis labem odit semper,
vt omnibus propè seculis Nobilissima Germina, fæcundo partu, in suæ emolumentum Patriæ,
producat.
Exspectat nunc etiam hæredem Paternæ Virtutis animum,
In magnæ spei ac exspectationis Filio Tuo,
spes publica:
Ominatur Lubransciauus Apollo
eius indolem pari in hoc Literarum stadio passu incedentem videns & laudans;
Quo Te illi præiuisse olim viderat & hodie lætatur.
Perennent iam itaq; Tuis Decoribus, Perennia Fratris Decora,
& cum eius Immortalitatis, gloriam adæquâsti,
vt mortalitatem vitâ diutiori superes,
hoc luctûs ex Illo hodierni ex Te nobis sit

SOLATIVM.

A. M. D. G. B. V. M. D. I. C. SSq; O. Honorem.

